

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus Caput 10: De clericis nostri temporis (5)

Idem (Bernardus):

Ve tibi, clerice, mors in olla.  
Carnum mors in hiis deliciis est.  
Non modo quia mors secus introitum delectationis posita esse cognoscitur,  
sed ob id maxime quia populi constant esse peccata que comedis.  
Sumptos ecclesiasticos gratis te habere presumis.  
Cantando, ais, bona tibi provenire videntur,  
sed bonum tibi erat fodere magis aut mendicare.  
Peccata enim populi comedis, at si propria minus tibi sufficere videntur.  
Solicitus esto tamquam redditurus rationem,  
dignos pro eis gemitus fundere, dignos agere penitentiae fructus.  
Alioquin tibi noveris inputanda, quomodo inter delicias comedis,  
et parvipendis et dissimulas tamquam nil accidentia tibi.  
O iudiciorum dei abissus multa!  
O terribilis deus in consiliis super filios hominum!  
Frusta incipient montibus vicissim dicere:  
Cadite super nos, et collibus: Cooperite nos.  
Venient ante tribunal Christi, audietur querela populorum gravis,  
accusatio dura, quorum viscerum stipendiis nec diluere peccata,  
quibus facti sunt duces ceci, fraudulenti mediatores.  
Quid igitur, o insipiens, delicie sapiunt? Quid divitie ille cecos oblectent,  
quibus mercaris tam grave iudicium, tam dure temetipsum obligas rationi?  
Universa quidem usque ad quadrantem novissimum exigentur.

Vae, vae tibi, clerice: Mors in olla (*IV Reg.* IV, 40).  
Mors in ollis carnium: mors in hujusmodi deliciis est.  
Non modo, quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur;  
sed ob id maxime, quia populi constat esse peccata quae comedis (*Osee iv, 8).*  
Sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas?  
Cantando, ut aiunt, bona tibi provenire videntur;  
sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare.  
Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur.  
Sollicitus esto tanquam redditurus rationem,  
dignos pro eis gemitus fundere, dignos agere poenitentiae fructus.  
Alioquin tibi ea noveris imputanda, quae modo inter delicias comedis,  
et parvipendis, et dissimulas, tanquam nihil attinentia tibi.  
O judiciorum Dei abyssus multa!  
O terribilis Deus in consiliis super filios hominum! (*Psal. LXV, 3.)*  
Frusta tunc incipient miseri dicere montibus,  
Cadite super nos; et collibus, Operite nos (*Luc. XXIII, 30).*  
Venient, venient ante tribunal Christi: audietur populorum querela gravis,  
accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata;  
quibus facti sunt duces caeci, fraudulenti mediatores.  
Quid tibi, insipiens, deliciae sapiunt? quid divitiae illae caecos oblectant oculos,  
quibus mercaris tam grave iudicium, tam durae temetipsum obligas rationi?  
Universa siquidem usque ad quadrantem novissimum exigeris.

Gaufridus Claraeuallensis, *Declamationes de colloquio Simonis cum Jesu,*  
*ex S. Bernardi sermonibus collectae*, 16 (PL 184, col.448C-D).